



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 5. Ad quid tenetur implicatus consuetudine peccandi mortaliter?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

inde augeantur ! unde Conc. Later. 3. c. 7. ait: *tantò graviora sunt crimina, quanto diutius animam infelicem tenuerint.*

Q. 5. *Ad quid tenetur implicatus consuetudine peccandi mortaliter ?*

Resp. Tenetur sub mortali illam efficaciter retractare, & emendare. *Est communis.* quia mala consuetudo est occasio proxima, & periculum morale peccandi, imò, & necessitas quædam moralis, in quam homo voluntariè se coniecit: *dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* ait S. August. l. 8. Conf. c. 5. quippe consuetudo mala vehementer pertrahit ad similes actus malos. At quisque sub mortali tenetur vitare, & à se remove-re occasionem proximam, ac morale periculum peccandi mortaliter; cum teneatur velle efficaciter vitare peccatum: alioqui censetur velle, saltem interpretativè, peccatum. Imò talis toties actu peccat, quoties ad pravam illam consuetudinem advertens, non proponit efficaciter illam corrigere. Nam tunc voluntariè retinet in se occasionem proximam peccati, & vult saltem interpretativè in morali periculo peccandi immorari, adeoque vult ipsum peccatum. Adde quòd pravus habitus, quem quis non statim curat evel-lere, necessitatem moralem peccandi au-

geat, & pariat cordis duritiam, obstinationem, desperationem, ac demum impœnitentiam finalem.

Hæc procedunt etiam de consuetudine circa actus quosdam malos externos, v. g. blasphemiam, juramentum falsum, licet absque advertentia, & animo blasphemandi, aut jurandi prolata. Nam ex communi gravis est obligatio etiam ejusmodi consuetudinem tollendi: quia (ut ait De Lugo) talia verba, etiam sic prolata, habent gravem turpitudinem, ac difformitatem objectivam, ob quam graviter disconveniunt naturæ rationali, & ratione cujus homo tenetur ea non velle neque in se, neque in causa: quippe exterius sonant blasphemiam, aut juramentum, & eum sensum generant apud audientes. Igitur sicut illicitum est Deum blasphemare, vel adducere in testem falsitatis, aut cum periculo falsitatis, & usurpare verba, quæ exterius sonant, & significant audientibus blasphemiam, vel perjurium: ita illicitum est velle in causa ponere illos actus; & præcipitur destructio causæ illorum, nempe consuetudinis: quæ consuetudo voluntariè permessa est grave peccatum. Non velle autem efficaciter illam emendare, est velle indirectè, & saltem interpretativè actus illos illicitos, ex ea ortos. Adde, quòd ista grave scandalum parere apta sint.

Item

Item motus alii subditi graviter inordinati, qui ex prava consuetudine quasi inadvertenter accidunt, non excusantur à mortali, quamdiu non adhibetur diligentia, & conatus, ut præcaveantur, & consuetudo corrigatur: quia si non in se, certè in causa, nempe in mala consuetudine non retractata, vel negligentia sufficienter noti, & voluntarii sunt.

CAPUT VI.

De Peccatis merè internis.

Qua scilicet consistunt in solis actibus internis, absque ullo opere, & signo externo.

Not. Actus voluntatis generatim dividitur in prosecutivum, & adversativum. Prosecutivus circa objectum illicitum triplex est. 1. Est volitio efficax objecti, qua voluntas vult adhibere media, quæ sunt in ejus potestate, ad illud objectum assequendum, seu opus volitum exequendum. 2. Est desiderium, sed inefficax. 3. Est simplex delectatio, seu mera complacentia de objecto, seu opere apprehenso, absque proposito exequendi, & desiderio assequendi; quæ est simplex quidam voluntatis affectus, quo res apprehen-

R 4

hen-